

2441

## A S C E T I C I

2442

*lis Horis canonicis debeat meditari et sic deuote ac utiliter expendere tempus suum. Initium: Cadente Horologio mox in momento et quasi in istu oculi surgens statue in animo tuote audire vocem illam terribilem, que fiet in iudicio. Surgite mortui &c. Tituli piae hujus Meditationis sunt: Misericordia captiuat. veritas iudici presentat. Paciencia flagellat. Obediencia crucem ornat. Caritas vulnerat. Iusticia deponit. Humilitas sepelit. Si Opusculi sequentis Inscriptio sincera est, praesentis notitiam non habuere Quetifus et Echardus.*

VII. fol. 108. Incipit Epistola eiusdem fratris Humberti (de Romanis) Magistri ordinis quinti predicatorum. quam scripsit de tribus substan. (Votis) ordinis et de quibusdam aliis virtutibus. Et per totum ordinem ad prouincias singulas Eam misit. Initium: Filijs gratie et coheredibus glorie fratribus karissimis &c. Editiones et Codices hujus Epistolae enumerant supra dicti Bibliothecarii T. I. p. 147.

## DCXXXIX.

65 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 247. f. per duas columnas caractere crasso, anguloso non ineleganter scriptus et picturatus complectitur I. Opus asceticum de Eruditione Religiosorum in Libros VI. distributum, quorum ὀκονομικῶν damus ex Fol. I. p. 2. Primus liber est de gratia educationis Religiosi de seculo facta. Secundus liber ostendit quomodo Religiosus debeat se habere ad corpus

suum. Tertius liber ostendit quod multum temptantur Religiosi seculum relinquentes. Quartus liber ostendit quomodo Religiosus debeat ordinare animum suum. Quintus liber docet quomodo Religiosus debeat se habere ad proximum. Sextus liber est de quiete mentis in deo quod est excellentissimum bonum. Sequitur Praefatio hoc rubro: Incipit prologus in librum eruditionis religiosorum. Erudire ierusalem ne forte recedat anima mea à te &c. Sub finem autor genus vitae suae manifestat: Ego in ordine fratrum predicatorum minimus de benignitate saluatoris non de propriis viribus confisus presens opus ad dei gloriam et humilium profectum compilare volui. Prologo succedit nova Librorum in Partes, et Partium in Capitula divisio, et tandem Opus ipsum hoc initio: Qui gratiam acceptam non agnoscit de ea gratias non agit et eius amissione reddit se indignum et alterius gratie susceptione indignum. Finis Libri ult. o quam gloriosa dicta sunt de te civitas dei &c. Explicit liber eruditionis Religiosorum. Benedictus deus qui incepit et compleuit. Tractatus hujus vere pii et lectu digni, qui subin et de institutione Religiosorum inscriptus fuit, autorem quaedam Mspta et Editiones produnt F. Humbertum de Romanis generalem O. P. Magistrum. At Quetifus et Echardus T. I. Scriptt. Ord. Praed. p. 134 magno vetustissimorum Codd. manu exaratorum consensu illum alteri Sodalium suorum, pluriumque operum autori F. Guiljelmo Peraldo sive de Petra alta;

2443

## C O D I C E S

2444

*Peyrauta, Perault*, Gallo, qui an. 1250. mortem obpetiit, vindicant, ipsa etiam scribendi ratione persuasi.

II. et quidem Fol. 136. habetur aliud Opus asceticum inscriptum *Liber de doctrina cordis*, divisumque in Tractatus VII. quorum conspectum rursus ex Fol. 1. p. 2. exhibemus: *Primus Tractatus est de preparatione cordis qui habet tres partes principales. Pars prima docet cor preparare sicut domus preparatur ad dignum hospitem recipiendum. Secunda pars docet quod debeat cor preparari domino ut cibus ad comedendum. Tercia pars ostendit quod cor preparari debeat ad modum sponse ut sponso suo placeat. Secundus Tractatus est de Custodia cordis sub similitudine vasis pretiosi. et nobilis castri ex omni parte obsessi &c. Tertius Tractatus est de apercione cordis ad modum libri qui aperiendus est ad legendum Et ad modum domus cuius ostium aperiri debet ad pulsantem intromittendum. Quartus Tractatus est de stabilitate cordis &c. Quintus Tractatus est de datione cordis videlicet cui. quare. et quomodo cor sit dandum &c. Sextus Tractatus est de Eleuacione cordis scilicet quare et quomodo cor sit leuandum &c. Septimus Tractatus est de Scissione cordis et cetera. Prologus incipit: *Preparate corda vestra domino verba sunt samuelis in libro Regum. loquitur dominus predicatoribus &c.* Hinc forte factum, ut hoc Opus alicubi etiam *Speculum Concionatorum* inscriptum sit. Initio illius iterum repetitur: *Preparate corda uestra do-**

*mino. Finis vero est: eternam letifice visionis securitatem concedat nobis deus omnipotens trinus et vnus super omnia benedictus per omnia s. f. amen.* Si de Autore Tractatus hujus in Bibliothecis passim adseruati, quin et latine et gallice pluries typis procusi quaeras, est is, testibus *Quetifo* et *Echardo supra-citt.* T. I. p. 248. *F. Gerardus Leodiensis* O. P. Scriptor Sec. XIII. quem illi *Divinum* aevo suo adpellatum volunt moti Codice quodam, cui inscriptum: *Sermones sunt hic Fratris Gerardi de Liege le Devin*, quod fortasse nil nisi agnomen familiae Viri hujus pii fuerit. Ad calcem nostri minio legitur: *Anno domini M<sup>o</sup>.CCCC<sup>o</sup>.XXIII<sup>o</sup>. finiti sunt libri de erudicione religiosorum et de preparacione cordis ad laudem domini nostri ihesu cristi procurante fratre Angelo Abbate in Runa cuius anima requiescat in requie sempiterna cum omnibus fidelibus defunctis et cum domino nostro ihesu cristo. Cui cum patre et spiritu sancto sit honor et gloria per eterna secula seculorum Amen.* Runa antiquissimum in Stiria Ord. Cisterc. Coenobium est, cui hic *Angelus* cognomine *Manssee* laudatus Praeful, et ab Ernesto Duce ad Constantiense Concilium ablegatus ab an. 1399. ad an. 1424. praefuit. Vides itaque laborem anno ejus emortuali terminatum fuisse. De eo *Erasmi Frölichii Diplom. sacr. Stir. P.* II. p. 49.

III. et quidem Fol. 209. *Incipit registrum de purgatorio sancti patricij.* Sequitur Praefatio, quam

2445

A S C E T I C I.

2446

quam exscribimus, ut de totius Tractatus ratione Lectori constet. *Multifarie multisque modis olim deus et dominus noster ihesus christus per evangelistas apostolos discipulos doctores suos ac predicatores uerbum dei predicantes viam salutis ostendens Nouissime tamen diebus istis videlicet Anno domini M<sup>o</sup>.CCC<sup>o</sup>.XLIII<sup>o</sup>. eandem viam salutis per quam immediate perueniri potest ad contritionem et ad penitentiam et ad dei gratiam et gloriam loqui dignatus est nobis in quodam sibi dilecto et caro adoptionis filio nomine georio de vngaria filij cuiusdam magnatis militis et baronis de vngaria qui cussaphan nominatur Qui georius deuotione et penitentia ductus penitentia digna de suis maximis peccatis utpote ducentis et quinquaginta homicidijs multisque alterius generis et modis peccatis sufficienter et deuote peracta decreuit peregre proficisci non equitando sed peditando et visitare purgatorium beatissimi patricij confessoris et quondam archiepiscopi armachani primatis ybernie. et sicut dictum est purgatorium visitare cum dei auxilio decreuerat ita et uisitauit sicut patet per patentes literas sigillis authenticis sigillatas videlicet domini Archiepiscopi armachani. domini Richardi nunc in ciuitate armachana archiepiscopi et sacre theologie dignissimi professoris ac eciam quam plurium aliorum videlicet domini Nicolai nunc episcopi Chlochorensis in cuius dyocesi est ostium purgatorij supradicti Item fratris pauli regularis canonici ac prioris Conuentus insule purgatorij sancti patricij supradicti*

*ac eciam prioris generalis hospitaliorum ybernie ordinis sancti jobannis ierosolimitani Et quia in ore duorum uel trium testium statomne uerbum. sequitur quod testimonium IIII<sup>or</sup>. uirorum supradictorum talium et tantorum ipsorum sigillis authenticis confirmatum a ueritate non vacare sed uerissimum a fidelibus debet firmiter reputari Veritatem autem supradicte uisitacionis purgatorij. supradictus dominus Richardus archiepiscopus armachanus testatur per suas literas triplicatas quarum prima est ista de uerbo ad uerbum fidelissime compilata. Sequuntur jam Literae. Prima ad ipsum Georgium, qui vngarus habitator regni Appuliensis uocatur. Invitat illum Richardus ad se in manerium suum Drumeskin et subscribit: Datum die ista mercurij in manerio nostro quo supra sub sigillo nostro autentico.*

*Altera uniuersis cristi fidelibus Richardus testatur, quod uir iuuenis quasi XXIIII<sup>or</sup>. annorum Georgius nomine a se literas conductorices ad purgatorium, qui locus in dyocesi Chlochorensi inter homines minus domitos situatur, obtinuerit, ibique peregrinationem consummaverit et iuramentum desuper praestiterit, subscribitque: aput drumeskin manerium nostre ecclesie armachane Sub nostro sigillo XXII. die mensis Februarij. Anno domini secundum computationem nostre ybernitane ecclesie M<sup>o</sup>.CCC<sup>o</sup>.XLIII<sup>o</sup>. et consecracionis nostre anno VII. Richardi consecratio, teste Jac. Waraero Hibern. sacr. p. 20. incidit in an.*

2447

C O D I C E S

2448

1347. Redundat igitur librarii vitio et supra in *Praef.* et hic et in Epistola sequente X. rescribendumque M<sup>o</sup>. CCC. LIII. Epistola haec tertia ab Archiepiscopo data est dilecto nepoti magistro *Richardo radulfi rectori ecclesie lycboloi* (sic.) canonico *Nublatensi* Romam et subscripta eodem loco, anno et die. In hac Georgius dicitur filius cuiusdam nobilis commorantis *Neapoli* sed de regno *Ungarie* et vidisse mirabilia de viuis et mortuis de *saluatis et perditis*. Que uero, continuat *Richardus*, nostra persona nobis expressit ab eo cum ad uos uenerit fortassis faciet uos scire aut prudenter poteritis extorquere. His literis accedit *Priuilegium Pauli prioris et Conuentus insule purgatorii sancti patritij datum* In finibus seu finalibus partibus mundi in *Crastino sancti Nicolai episcopi* Anno domini M<sup>o</sup>. CCCLIII<sup>o</sup>. *Priuilegium domini Nicolai* (Mac - Catafald mort. 1356.) *cblochorensis episcopi*. Datum in ciuitate nostra *cblochorensi* in *Crastino* natiuitatis domini. Anno eiusdem M<sup>o</sup>. CCC<sup>o</sup>. LIII<sup>o</sup>. Denique *Priuilegium domini Iobannis de fronwichk prioris ierosolimitani*. Datum in manerio nostro *kylmalmaz die mercurij proxima post conuersionem sancti pauli apostoli*. Quae omnia idem testantur. Consequitur jam ipsa historia, qua narratur Georgius noster filius nobilis et potentis viri domini *Crispaphani* (sic) de *Ungaria* militis sicut clarissime in *Romana curia* probatum est per quam plures nobiles milites et scutiferos ac etiam religiosos *ungarie nationis* homines

*constitutus in apulie partibus capitaneus per Illustrissimum principem et dominum dominum Regem ungarie super quamplures ciuitates et castra quamplurima et singulariter super quandam ciuitatem que dicitur Troya* (in Provincia nunc uulgo *Capitanata*) *situatam in maritima prope ciuitatem kray in karyli* que uulgariter dicitur *karleton* et super multa castra uidelicet *Anisseiam* et alia quam plurima valde crudeliter egisse praedando et caedendo, sed tandem in se reuersus petiisse Romanam Curiam, ibique facta exomologesi, susceptoque ad *D. Iacobum in Galloeciam* itinere, ea in regione sex ipsis mensibus vitam duxisse solitariam, dein uero, ubi ab Anachoreta de *S. Patritii Purgatorio* intellexisset, illud aduendi impetum cepisse. Hic jam locus purgatorii, ritus, quibus initiantur, qui in illud admitti postulant, et uisa ibidem Georgio obiecta describuntur. Sunt uero *Scenae XXVIII.* quarum VIII. inscribitur: *De apparicione patris georij et trium fratrum*. Adparent scilicet quatuor *Cacodaemones* personati, qui illum ad abnegandam Christo fidem incassum sollicitant, neque aliud inde discere licet, nisi *Stephanum fratrum* minimum Georgio carissimum fuisse. Ultima hanc rubricam praefert: *De ambasiatis georij*. Tempora uivendi Principum, ad quos *Michael* Archangelus mandata perferenda tradit Georgio, mire concordant. Sunt autem praeter *Richardum Armachanum* et *Soldanum babilonie Eduardus III. Rex Angliae* cum  
ejus

2449

## A S C E T I C I.

2450

ejus Matre, quae erat *Isabella Philippi Pulcbri* filia, *Johannes II.* Rex Franciae, et *Innocentius VI.* Pontifex Romanus. Qui autem fuerint ambasiatae, subdit *ἰεροφαν- τος* noster, georius non expressit nisi illis ad quos missus est. Hagiographi Belgae, qui de S. Patritii Purgatorio T. II. Martii ad diem XVII. fufe tractarunt, post Öeni militis in purgatorium admissionem, quam *Matth. Paris* an. MCLIII. adsignat, et *Henricus Monachus Saltereyensis* scripto commendavit, postque Canonico- rum Regularium in Insulam ingres- sum nullo potuerunt indicio depre- hendere, cuiquam tale quid, qua- le Öeno, accidisse. Ignotus itaque illis manfit Hungarus noster, in multis Öeno geminus. Invenio ta- men in *Montfauconii Bibl. Biblioth. Mss. T. I. p. 16.* inter *Codd. Chri- stinae Suecae* in Vaticanam trans- latus n. 122. *Legendas* quasdam, quas inter *Peregrinatio Georgii Equitis Ungarici et de Purgato- rio Germanice scripta.* An vero alterutra lingua typis unquam com- missa fuerit, id, quod sub artis initia, rudi illo, et literarum *πα- λιγγυεσιw* praecurrente aevo piis ejusmodi fabellis, puta *Visionibus Tondali, Brandani &c.* non semel usuvenit, ingenue confiteor me ignorare. Regem illum Hunga- riae, sub quo meruerit Georgius, *Ludovicum I.* fuisse, qui an. M. CCC.L. regno Neapolitano ite- rato potitus est, docet historia. Patris vero Georgii nomen, quod in Codice nostro *Cussaphan*, fre- quentius vero *Crißaphan* scribitur,

eo deducere quem possit, ut Vi- rum illum Provinciae in Croatia *Crisiensis Banum* fuisse conjcet.

## DCXL.

Codex partim membraneus, <sup>474</sup> partim chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 278. 4. per duas columnas exaratus, et rubricis distinctus, olimque pertinens ad *Locum Beatae Mariae de Paradiso*, coeno- bium, ut arbitror, Virginum S. *Clarae* ad *Rbenum* situm, com- plectitur Opus Asceticum, seu, ut in calce adpellatur *Librum de monastica Vita.* Indici praemisso haec minio subduntur: *Hunc li- brum edidit Reuerendus sacre Theo- logie lector frater conradus de czeñ pater conuentus in nurenberga Ordinis fratrum heremitarum San- cti Augustini. Qui omnium pro- prietariorum verus inimicus semper fuit. Et hoc vita et moribus ac scriptis suis manifestissime ostendit.* Notum fuisse Scriptorem hunc *Of- singtono Bibliothecae Augustin.* Con- ditori inde arguas, quod p. 256. legitur: *Conradus Zenners vide Lit. Z. Zenners Conradus.* At nihil ibi, neque alibi, quod norim, si *Ges- neri Bibliothecam* excipiam, quae *Codicis* nostri mentionem facit, corrupto tamen Titulo, et Auto- ris nomine, qui *Conradus de censis* dicitur. Ego vero eum ab oppido aut pago patrio *Zenn* ditionis *Ansbacensis* adpellatum autumo. Aevum illius ex ultima *Codicis* clau- sula liquet, ubi *Conradus de czeñ* adhuc in humanis degens Anno do- mini M<sup>o</sup>.CCCC.LIX. audit. Pro- logus